



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Patriarchæ Ierosolymitano apostolicæ sedis Legato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

tra gratia neque circa nos tua devotio refriguerit, quin immo necessitas terræ sanctæ, propter quam hujusmodi tibi fuit indulta legatio, non cessarit, legationem ipsam tibi duximus in aliud quadriennium committendam, fraternitatem tuam rogantes attentius & monentes ac per apostolica tibi scripta mandantes quatenus auctoritate præsentium commissæ tibi sollicitudinis ministerium per præfinitum tempus exerceas laudabiliter & prudenter. Datum apud sanctum Germanum VII. Idus Julij, anno undecimo.

**E I D E M E T D I L E C T I S**  
*filii militiæ Templi & Hospitalis  
 Ierosolymitani Magistris.*

*Epist. 109.  
 Monentur ut  
 invigilent cu-  
 stodiam terræ  
 sanctæ.*

**S**uper miseria terræ sanctæ per diem sac noctem quasi torrentem lacrymas deducentes, subventionem ipsius quomodocumque ac etiam undecumque possumus, nec destitimus hæcenus nec etiam adhuc desistimus procurare, ita quod ad nostræ sedulitatis hortatum plurimum Christianorum exercitus in Alamannia cum nobili viro Duce Austriæ ac in Francia cum Comite Augi aliisque magnatibus ad ejusdem auxilium præparatur, & in Theutonia generalis fit pro sua subventionem collecta de universali assensu Principum constituta & nostræ auctoritatis munimine roborata. Quia igitur pro ipsius terræ defensione pecuniam vobis esse credimus necessariam, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus elemosynam Cisterciensis Ordinis & quadragessimam de mandato nostro à venerabili fratre nostro Parisiensi Episcopo destinatam, depositam apud Templum, accipere ac tam ipsam quam mille libras \* Provenientes, quas nuper in subsidium terræ sanctæ de beati Petri elemosyna destinavimus, expendere procuretis prout terræ sanctæ necessitati & utilitati noveritis expedire. Apud nos autem sunt quædam aliæ fidelium elemosynæ, quas vobis oportunitate mittemus inventa, circa subventionem ejusdem terræ sine intermissione qualibet diligentem & utinam efficacem operam impensuri. Rogamus autem discretionem vestram propensius & hortamur quatenus ad gubernandum hereditatis Christi reliquias prudenter & constanter per eos & alios quos habetis auxiliares intendatis, non solum in finibus vestris, verum etiam in Antiochia & in Tripoli, donec præduce Deo præparata jam & in proximo præparanda militia vo-

*\* vide infra lib.  
 11. epist. 18.*

bis Christiana succurrat. Nos autem propter hoc specialiter intendimus incessanter ad pacem, non solum in imperio, verum etiam & in regnis, ubicunque desuper datum fuerit, reformandam, ut tanto copiosius exinde terræ sanctæ subsidium procuretur quanto cessantibus domesticis simultatibus, ad id intendere poterunt efficacius ij quos tangit injuria crucifixi. Datum apud sanctum Germanum VI. Idus Julij, anno undecimo.

**P A T R I A R C H Æ I E R O S O L Y M I T A N O**  
*apostolica sedis Legato.*

**Q**uasi non sufficissent Antiochena provincie impietatum scelera scelerumque impietates quibus graviter iram Domini provocavit, apposuit Tripolitanius Comes mittere manum suam in Christum Domini, pie memorie Patriarcham Antiochenum patrem ac dominum suum carceri mancipando, in quo tandem miserabiliter expiravit. O nobilis Antiochia, urbs perfectæ decoris, & terræ quasi gaudium universæ, quam graviter esse cerneris per tam grave ignobilitata flagitium, quam turpiter per tam turpe facinus offuscata? Cui comparabimus te, vel cui tuam possumus miseriam adacquare? Omnis enim calumnia in medio tui est, quæ sicut cisterna facit frigidam aquam suam, ita malitiam tuam frigidam reddidisti. Præterea cum comparatione prævaricationis tua sororum tuarum justificasse animas videaris, velut inimicus terendit Dominus arcum suum, suamque firmavit dexteram quasi hostis, ut nisi per penitentiam dignos fructus à facie arcus fugias, plaga inimici te feriat & percutiat castigatione crudeli, fiatque sicut mare contritio tua magna, & egrediatur ut ignis super te indignatio Domini ac succendat, tuque demum \* qui possit extinguere non invenias, profundum & latum bibas calicem iræ Dei. Super quibus omnibus, post illud quod speramus è cælo, ad cuius nos auxilium convertemus nisi, dilectissime ac desiderantissime frater, ad tuum, qui etsi pari nobiscum affectu super tanta calamitate complores, fortasse tamen merito potiori occurrere sibi potes? Quia igitur propter varias circumstantias per præsentiam tuam melius posse credimus Antiochena Ecclesie subveniri quam à nobis absentibus valeat designari, committendas tibi duximus super hoc plenarie vices nostras, fraternitati tuæ per apostolica scripta

*Epist. 110.  
 De electione  
 Patriarchæ  
 Antiocheni.  
 Vide supra lib.  
 10. epist. 24.*

*\* dum*

*Vide lib. 11.  
 epist. 4.*

mandantes quatinus Canonicis ejusdem Ecclesie, si quos excommunicatos invenis, juxta formam Ecclesie absolutis, commoneas & inducas illos ad quos Patriarche Antiocheni spectat electio ut infra tempus quod eis duxeris praesigendum personam idoneam de provincia ipsa vel alia citra mare vel ultra per electionem canonicam cum consilio tuo sibi praeficiant in pastorem. Alioquin ex tunc habito praeculis solo Deo, talem eis undecunque in pastorem assignes qui tanto congruat oneri & honori, obedientiam & reverentiam debitam ei faciens exhiberi, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam sub lato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compescendo. Circa Decanum autem Ecclesie memoratae, qui multipliciter dicitur malignatus in eam, licet a multis contrarium asseratur, inquisita super eis & cognita veritate, statuas appellatione remota quod secundum Deum & utilitatem ipsius Ecclesie videris statuendum. Praefatum vero Comitum qui tantum sacrilegium perpetravit, tamquam excommunicatum, anathematizatum, & maledictum, tamdiu facias arctius evitari donec per satisfactionem condignam, si tamen ei de tanto scelere satisfacere dignè detur, absolutionis beneficium mereatur. Denique, ne quid de contingentibus omittamus, tam super iis quam etiam super omnibus quae negotium hoc contingunt plenam tibi conferimus potestatem, ut vice nostra de universis statuas & de singulis appellatione postposita quod videris expedire. Datum apud sanctum Germanum i v. Idus Iulij, anno undecimo.

**RICHARDO ABBATI**  
*& conventui sanctae Mariae de Bologna supra mare tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.*

**P**rae postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri; ut & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter asumat. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & praefatam Ecclesiam sanctae Dei genitricis & virginis Mariae Bolognensis super mare, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicitis recordationis Honorij praedecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & praesentis scripti patrocinio

communimus. Inprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascunque possessiones, quaecunque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum &c. usque illibata permaneant, in quibus haec propriis &c. Locum ipsum in quo praefata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, terris, vineis, pratis, pascuis, & pasturis, silvis, aquis, molenis, piscationibus, Ecclesiis, villis, domibus, hospitibus, comitatibus, familiis, advocacionibus, cunctisque suis mobilibus vel immobilibus, cultis vel incultis. Totam parrochiam civitatis Bononiae, ac parochialia jura, & quae continentur in subditis. Infra muros ejusdem civitatis Ecclesiam sancti Iohannis Baptistae. Extra muros Ecclesiam sancti Martini cum decimis & appendiciis suis. Et in eadem parochia capellam leproforum, capellam sancti Petri de Nienburc, capellam sancti Nicolai de Nienburc extra muros, & capellam hospitalis sanctae Catherinae infra muros in usus vobis proprios deputatam. Infra muros ejusdem civitatis duas mansuras Carleti, mansuram Arduis Panetarij, mansuram Petri de Rua, mansuram unam Eustachij de Pernes, mansuram Alelmi, mansuram Willelmi Camerarij, tres mansuras Ingelranni Decani, mansuras parvas, mansuram Lamberti Sicci, mansuram Rogeri Lipardi, mansuram Ermefendis, mansuram Bernardi Clerici, mansuram Oltonis, mansuram Balduini filij Azonis, mansuram Balduini Mundolfi, mansuram Clarembaldi de Indreham, mansuram Godeberti, mansuram Guarini de Felnes, mansuram Leivardis, quatuor mansuras Gozelini de Odra, mansuram Flamerici, mansuram Orberti, mansuram Olrici, mansuram Gumburgis, mansuram Guarneri, mansuram Frodonis, mansuram Orberti sacerdotis. In vico Fori mansuram Martini. Ad posternam quatuor mansuras. In Nienburc omnes mansuras quae sunt in sabulo quod dicitur sanctae Mariae. In Arkesten terram Radulfi Bevarag. & mansuram Elemberti & mansuram Rayneri, mansuram Erembergae, mansuram Alulsi, mansuram Soimanni, mansuram Soimeri, mansuram Theobaldi, & mansuram Erkenfridi. Altare de Hisingehen, altare de Condeta, altare